

imman pondem

Veneris videlicet tertio nonas Octobris in man etiam cum depopulatione Lucanorum in pratum usque ad.

195

P I S A N A

196

castrum Montisoli de Fieffo, quod de novo constructum erat ibidem; & pontem, & burgum Sancti Petri ab adversariis cum obprobrio derelictum; & turrim Ripæ, & pontem & castrum ipsum Fieffi; & pontem & burgum Sancti Petri. Nonas Octobris die Mercurii fecimus dissipare. Quo quidem die iuvimus depopulando Lucam quasi usque ad Pratum: Sequenti verò die iuvimus usque ad portas & muros civitatis Lucanæ, ubi ad perpetuam rei memoriam, & laudis nostræ præconia, & adversariorum sempiternum obprobrium, & ne nobis, vel posteritati de gravibus injuriis illatis nobis ab eis, qui totam Provinciam Tusciæ veneno infecerant, improperari posset ad superabundantiam ultionis, monetam nostram novam duorum solidorum cum impressione nostræ victricis Aquilæ coronatæ cudi fecimus, & quamplures novos milites cingulo novæ militiæ decorari; quadrellos, sagittamina, & virgas Sardorum in civitatem Lucanam profici fecimus (ex quibus supra muros, & in civitate ipsa plures fuerunt lethiferè fauciati); ludum ad Massā, scutum, & alia jucunda tripudia fieri.

Cerāsumque castrum die Dominico sequenti, scilicet Nonis Octobris, cepimus, & fecimus funditus demoliri; & die Lunæ Idibus Octobris Pisas cum exercitu feliciter, & cum tripudio reveri sumus in Antianatu Guidi, & Johannis Benincasæ, Nicolai Raynaldi, Jacobi Mori, Conis Pelliparii, Bernarducci Longhi, Jacobi Pacis, Vermilii Galtesii, Gerardi Provincialis, Orlandi de Navaçchio, Matthæi Riccii Coriarii, Bandinacchi Garofoli, Gaddi Ricuèchi, & Johannis Fatii.

Castillonis castrum fuit habitum ab exercitu Pisano, in quo fuit egregius Comes Guido Novellus Tusciæ Palatinus, qui postea in eodem exercitu factus fuit regius in Tuscia Vicarius Generalis. Et Pistorienses carissimi fratres nostri, & alia Communia societatis nostræ in Tuscia adfuerunt die Mercurii XIV. Calend. Julii, videlicet sequenti die post Festum Beati Raynerii. Ad eius obsidionem nos posuimus die Lunæ post Festum Paschatis Pentecostes, videlicet V. Idus Junii, tempore Domini Gulielmi de Cornazzano Pisani Potestatis, & Domini Raynerii Teste de Mutina Capitanei Pisani Populi in Antianatu Dominici Scalensis, Ugolini Bottighe, Bartholomæi Bianci, Oddonis Gualducci, & sociorum 1265. Indictione VII. mense Junii.

Castillonis castrum & ejus Rocham per expugnationem mirabilem, caveas, ignem, ædificia, & alia instrumenta viriliter cepimus cum quinque de adversariis reclusis in eo, inter quos fuit Dominus Rustichellus de Montecatino Lucani Populi Capitaneus die Mercurii in Festo Beatorum Quirici & Juliste, XVII. Calend. Augusti in supradicto Antianatu. Qui exercitus rediit feliciter in civitatem die Sabati decimoquarto Calendas Augusti.

Motronem, Versiliam, & alias Terras acquiritas, quibus fueramus privati per falsas Guelphorum sententias, recuperavimus tempore Nobilis Viri Domini Jacobi Bassuli de Parma laudabilis Potestatis, & Domini Inghirami de Gozzano Capitanei Pisani Populi in Antianatu Bastiani de Familiaris, Bonacursii, Johannis, & sociorum eorum 1266. Indictione octava die Sanctæ Restitutæ, quod nomen fuit Pisanæ Majoris Ecclesiæ adjunctum die Jovis XII. Cal. Junii.

Tom. VI.

A Ficecchium, Sancta Cruce, & Castellfrancum submissi sunt sua spontanea voluntate Pisano Comuni tempore Nobilis Viri Domini Alberti de Torricella Pisanorum Potestatis, & Domini Citonis de Canova Capitanei Populi Pisani in Antianatu Guidonis Benincasæ, Johannis Peccii, Mesis de Vico, & sociorum 1267. Indictione IX. die Veneris in Festo Sanctæ Restitutæ XII. Calendas Junii. Roccha Ficecchii, castrum & Turres Pontis Cappiani venerunt in baliam Pisani Communis. Sancti Miniatis Arcem custodiendam pro Comuni Pisano pars Ghibellina Sancti Miniatis dedit, & tradidit Ugoni Villamgi Judici Syndico Pisani Communis, & pro Pisano Comuni recipienti, tempore Nobilis Viri Bartholomæi de Soppo Pisani Potestatis, & Domini Anselmi de Rivolo seu Bartholino de Saxo-ferrato Capitanei Populi Pisani in Antianatu Nicolai Raynaldi Tholomæi de Massa, Vitalis Notarii, & sociorum 1268. Indictione X. XVIII. Calendas Februarii, & intraverunt etiam in societatem Pisani Communis, promittentes facere guerram inimicis Pisani Communis cum certis patetis, & conditionibus.

Carolus germanus Regis Franciæ, Andegavensis Provinciæ & Fulchaqueriæ Comes, vocatus à Romana Sede Anno Domini ab Incarnatione ejus 1266. de mense Maji furtivo quodam navigio profectus est ad urbem Romanam, ubi Senator Urbis tota ætate existens, coronatus est à Summo Pontifice in Regem Siciliæ. Qui sequenti Anno Indictione IX. die XXVIII. mensis Februarii cum exercitu maximo militum & equitum de Francia, & Provincia, & Piccardia in tempestate Hyemis ad Urbem profectus, apud Beneventum Regem Manfredum filium quondam recolendæ memoriæ Domini Frederici Romanorum Imperatoris devicit, & ipsum Regem, & quasi ejus gentem totam occidit, sibi que totum Regnum Siciliæ subjugavit per iniquam fidelium traditionem.

Pisanæ reconciliatio facta fuit civitatis de Excommunicatione, seu Interdicto, in qua erat, pro eo quod dicebatur adfuisse Manfredi Regi Siciliæ, & fecisse contra Lucanam civitatem existentem sub protectione Domini Papæ. Quæ reconciliatio facta fuit piæ Matri nostræ Ecclesiæ, & Sanctissimo Patri nostro Domino Clementi Quarto, & postea confirmata à Comuni Pisano, Magistro Helyæ Cappellano Domini Papæ pro Sede Apostolica recipienti tempore Domini Alberti de Torricella Pisani Potestatis, & Citonis de Canova Capitanei Anno 1267. Indictione IX. XVII. Calend. Maji; Pro qua reconciliatione, & mandatis Ecclesiæ observandis firmiter, Comune Pisanum deposuit penes Romanam Sedem Apostolicam libras XXX. millia.

Conrado Secundo Rege Siciliæ adveniente ad civitatem Pisanam, Comune Pisanum ob gaudium inde perceptum literas suas Comuni Castellifranchi, aliisque Communibus suæ partis per Tusciā destinavit per Gilonem Nuntium Pisani Communis, cui dictum Comune Castellifranchi nihil exhibuit, immo in contentum prædicti Domini Conradi Regis Siciliæ homines ipsius Communis derisive clamantes dicebant, quod Pisani alium hominem fecerant venire in similitudinem dicti Regis Conradi. Excellentissimus dictus Rex Conradus Secundus quondam filius alterius Regis Conradi intravit civitatem Pisanam, cum primo

¶ Et die lune sequenti videlicet nono kalendas Junii

bona Canonica nova

habaladi catich nona Petrum

1m

desunt

1morum 1m 1268

inibentis c.

tune c. M

apostolica Indictione octava cum c. M. in

x extante ipse c. in et apostolica sede ecclesie c.

etiam predictum maximum

x recordationis et exoritur etiam de regis Manfredi

oc L nova 1mora

preconceptam c

comm. semper

inter c.

x hier ist b = k also immer Kallaris 4. 5. 6. Ich hatte mich nach dem k in Kalendis-gerichtet, so ist übrigens auch steht das k wo jedoch a mit drin steht